

III. De annulis versatilibus, quibus utrumque hemisphaerium est munitum, è cupro pariter, robustissimis, ac de catenis ferreis, quibus annuli hi prehensi tractioni commodæ inserviunt, itemque de rudentibus in restes minutiores complures desinentibus, qui catenis decenter illigati magnum trahentium numerum admittunt &c. dicere plura ne opus quidem est. Amplitudo tamen hemisphaeriorum imprimis adnotanda venit & ex diametro aestimanda, quæ accuratè dimensa intus quidem ab *a* ad *b* est duorum pedd. Rhinl. ac præterea $\frac{1}{2}$. dig. sive $24\frac{1}{2}$. digg. Rhinl. extus verò ab una marginalis ambitus parte ad oppositam h. e. ab *A* ad *B* 27. digg. sive 2. pedd. ac 3. digg. ita ut circumferentia diametri minoris contineat 77. majoris 85. digitos longitudinarios, area circularis ibi 480. hinc 663. quadratos quamproximè, & consequenter annuli marginalis planities 183. plusquam tertiam partem areae minoris; tota verò capacitas 7840. digitos cubicos h. e. quatuor pedes cubicos cum dimidio & ampliùs.

IV. Quemadmodum autem DN. GUERICIUS hemisphaeriorum suorum, interventu annuli coriacei (qualem nos etiam adhibere solemus lit. H. designatum) jungendorum indissolubilem quasi nexum procuravit, ope recipientis alius jam exhausti ac subitanè aëris ex hemisphaeriorum junctorum cavo subtractione; ita nos eundem effectum lento haustu antliæ, ipsis hemisphaeriis immediatè applicatæ pro ducturi, hemisphaerii inferioris *D* epistomium *F G* more solito antliæ accommodavimus, eique satis firmato alterum *C* superimposuimus, posteaquam annulum coriaceum *H* margini annulari seu alveo hemisphaerii inferioris decenter applicuissimus & oleo probè illevissimus. Ita verò conjunctis in sphaeram unam partibus, exercere antliam strenuè coepimus, ita futurum rati, ut sensim subtracto ex eorum cavitate aëre, ipsa quoque magis magisque cohærerent; sed frustratos nos eâ spe paulò post sensimus, nihil cohæsionis inter hemisphaeria deprehendentes etiam post haustus antliæ plurimos.

Phæn. I.